

omniscium aut omnipotens. Quæ quidem invocatio duo continet, testimonium & vindictam, ita tamen innexa invicem & conjuncta, ut etsi verbis separentur, reipsa nihilominus convenire intelligantur. Cum enim superior puniendi jus habens testis advocatur, simul ab eo perfidiæ ultio poscitur: & qui scit omnia, ultor est, ideo quia testis. *Grotius de J. B. & P. II. 13, 10. Add. D. Struv. Syntagm. Civit. Exercit. XVII. thes. 9.* Non igitur assentimur nonnullis, qui uti Jurantes Deum implorent tanquam perjurii vindicem, ita tolerari aut addi posse existimant Angelos & Archangelos tanquam testes omni exceptione majores. Neque enim videmus quis usus istorum testium sit futurus. Sane in jus vocari non possunt; & Divina omniscientia nullius testimonium desiderat. His adde, quæ circa Juramentum militum Christianorum, quod refert *Vegetius de re militari* l. 2. c. 5. monet laudatus jam aliquoties *Pufendorfius* l. 2. c. 4. §. 3. p. 418. Confer. *Osiandr.* ad *Grotii* lib. 2. c. 13. §. 12.

V. Sed nec obstat, quod frequenter in juramentis certa quædam res nominetur, per quam juremus, uti v. c. jurant nonnulli per animam suam, per salutem suam. (Et Pythagorei, ut colligitur ex *Jamblichō* de vita Pythag. & *Luciano* in vit. Auctor. jurabant per ingeniosissimum magistri sui inventum *Tetractyn*, ad quam per tot secula ignoratam propius, accessisse videtur *Dn. Præses*, in elegantissimo opusculo *Tetractys tetracty Pythagorea respondens*.) Id enim fit sensu longè diversissimo. Qui quidem nobis hic esse videtur, ut DEUS, siquidem jurans fefellerit, in res istas juranti charissimas vindictam suam potissimum exerat, aut easdem adimat juranti. Quam interpretationem amplectimur præ illa *Sanderfoni* & aliorum, putantium, per animam aut creaturas quascunque qui juret intelligere Deum earundem creatorem conservatoremque. Nam durior est hic loquendi modus quam qui adhibitus præsumi queat.

VI. Cæ-